



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 1. An ultimum resolutorium Fidei sit Auctoritas
Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

nem. Cur ergo universaliter de illo enuntiat iudicio, quod resolvatur v. g. in motiva credibilitatis? Tum quia hic non quaritur, quodnam sit ultimum resolutorium ex subiecto, sed quod ultimum ex objecto; & tamen Pontius recurrit ad diversitatem motivorum, ex subiecto.

EXPLICAT Secundo Amicus cit. num. 26. quod scilicet ultimum resolutorium sit Scriptura testificans, verbum Dei, traditio, & Ecclesia: mutuo verò unum resolvitur in aliud in diverso genere; omnia autem in Auctoritatem incretam, Dei dicentis, per simplicem duntaxat adhesionem objecti materialis, propter formale.

Hæc explicatio

NON SATISFACIT. Quia non respondet ad punctum difficultatis: querere enim restat, An hæc propositio, *Increta id Auctoritas dixit*, sit in terminis nota vel non: redibitque argumentum supra factum; querereque restabit, qui per simplicem adhesionem objecti materialis, propter formale, fieri possit assensus, si propositio dicta, non sit ex terminis nota.

EXPLICATUR Tertiò. Resolvit fidem in lumen fidei, quo DEUS illuminat mentem nostram.

Hæc explicatio

NON SATISFACIT. Quia confundit principium effectivum, cum formali, & motivo, hic autem non quaritur de principio effectivo, quale est illud lumen.

EXPLICAT Quartò Granado, docens motivum fidei & ultimum resolutorium, esse auxilium quoddam Dei actuale, quod non quidem habet se per modum principii effectivi, sed per modum concursus actualis, quod DEUS illuminat mentem credentis, & ita manifestat illi veritatem objecti credendi, ut crediturus credat connexionem Divini testimonii, cum objecto credendi.

Hæc Sententia immerito impugnatur quasi coincidat cum Hæreticis, qui fidem suam in instinctum internum resolvunt: nam Hæretici admittentes instinctum internum, non in hoc sunt Hæretici, quia illum admittunt, nam etiam Catholici dicere possunt; se instinctum internum ad fidem habere; internamque securitatem de rebus fidei. Sed in hoc sunt Hæretici: quia ad illum internum instinctum recurrunt, ita, ut rejiciant omnem aliam externam regulam, quâ ille spiritus internus reguletur, proptereaque appellatur spiritus privatus. Nihilominus *hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia instinctus ille, non est motivum assensus summè infallibile: major enim est infallibilitas immediatè dicentis Dei. Deinde nullo modo est ultimum resolutorium: Si enim quæram, Cur credas Trinitatem? respondebis, quia Deus revelavit qui est verax. Quod si quæram de hoc præcisè, quare sit verax, & unde tibi constet esse illum veracem: certè id non resolves in instinctum tuum, tanquam in

motivum, sed tanquam in proponentem illam veracitatem? hic autem quaritur non de propositione, sed de resolutorio.

EXPLICAT Quintò Ripalda disp. 3. num. 7. quod huic principio, Deus est verax, assensumur immediatè propter se, & non propter aliud. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Assensus tunc fieret propter intrinsecam veritatem illius propositionis, hic autem assensus non potest effectui dei ut dictum supra. Tum quia, si illi propositioni non propter aliud assentiremur, id ideo esset, quia nihil notius est, quàm Deum esse dignum fide & veracem. Sed hæc ratio non convincit: quia quamvis dicto objecto nihil sit notius, notitia Theologicâ & Metaphysicè, falsum tamen est, quod etiam sit notum notitia fidei: hæc enim non potest esse propter aliud, nisi propter *Quia dicitur*. Quod vero assumit Ripalda: fidem soli objecto secundario assentiri propter revelationem, & non primario, id non convincit: quia hoc ipsum non probatur, nec ostenditur qui adhuc ille assensus, sit futurus fidei. Deinde primarium objectum fidei, est etiam Dei existentia, & tamen assentiri huic objecto possumus: quia dicit: Ego sum qui sum. Tum quia & esset ille assensus fidei ut supponitur, & non esset: quia nihil condistinctum sui, ab aliis, eandem veritatem attingentibus assensibus, in præcisa ratione assentiendi haberet, si inniteretur intrinsecæ objecti veritati. *Descendamus ad alias sententias.*

Punctum Difficultatis 1.

An ultimum resolutorium Fidei sit Auctoritas Ecclesie?

Affirmat Medina Bannez & alii. Porto Auctoritas Ecclesie duplex cogitari potest: una quidem humana, in quantum dicit collectionem hominum Doctorum & Sanctorum, sub uno capite roto orbe sparsorum: *Secunda* Auctoritas Ecclesie, est quasi Divina, sita in speciali assistentia Spiritus Sancti, secundum quam eam gubernat ne erret. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Primò, quia non tangit punctum difficultatis. Credo v. g. Deum esse Trinum; quæro cur? respondebitur, quia DEUS revelavit, quæro unde constet quod revelavit? respondebitur, quia ita dicit Ecclesia; quæro estne notum in terminis quod quidquid dicit Ecclesia est verum, & quia hoc dicit Ecclesia? & in primis quod hoc dicat Ecclesia non est tibi notum: quia hoc dicit tibi tuus hic & alter in fide Magister, qui non sunt Ecclesia: & ad maximum est hoc tibi notum per sensus & notitia morali. Ergo resolvit fidem, vel in notitiam sensuum vel in aliquid fallibile. Quod attinet ad illam aliam partem. Quidquid dicit Ecclesia est verum: quomodo id est ex terminis notum. Ergo illi propositioni assentiris propter aliud.

aliud. Ergo prior illa non fuit ultimum resolutorium, & de illo alio quærendum restabit: est-
né notum in terminis.

NON SATISFACIT Secundò. Quæro an fides Apostolorum & nostra sit ejusdem speciei vel non, idque in ratione motivi? si ejusdem speciei; ergo immerito assignasti duplex moti-
vum fidei, nempe veritatem Divinam, & Au-
thoritatem Ecclesiæ, quæ etiam quâ participata,
specie distinguitur ab increata Auctoritate. Si
autem est diversæ speciei, dicitur id contra
communem sensum. Et deinde non satisfacit
præsenti difficultati; quæritur enim hic de mo-
tivo fidei, non ratione subjecti alicujus particu-
laris, sed de motivo ex ratione objecti, quod sci-
licet competat omnibus actibus, quicunque
sunt actus verè fidei. Jam autem credebatur ali-
quid Adam & Apostoli, & non propter Ecclesiæ
propositionem.

RESPONDEBIS, quòd motivum fidei, ut sit
sub distinctione concipi debeat, quòd scilicet
sit assensus, vel propter Auctoritatem Ecclesiæ,
vel propter Auctoritatem Divinam attestan-
tem.

CONTRA est. Tum quia si duæ illæ Aucto-
ritates copulative non accipiuntur, in quantum
innititur soli Auctoritati Ecclesiæ fides, non
erit summè infallibilis, nec rigorosè Theologi-
ca. Tum quia illæ duæ Auctoritates, vel con-
veniunt in ratione communi motivi fidei, vel
non conveniunt, si conveniunt, illa potius ratio
communis, erit resolutorium. Si non conve-
niunt, non satisfacit difficultati: quia hic quæ-
ritur de ratione, in qua, conveniant etiam mo-
tiva: quia queritur de ratione, in qua, conveni-
ant ipsi actus. Tum quia redibit argumentum
immediatè factum. An scilicet fides ex hoc
motivo elicita, sit eadem specie, cum fide ex
hoc alio motivo elicita.

NON SATISFACIT Terriò. Quia fides neque
potest resolvi in humanam Auctoritatem Eccle-
siæ, neque in divinam; non in humanam quia
quamvis hæc magna sit, nihilominus non est ex
sua ratione formali infallibilis; non etiam resol-
vi potest fides nostra in Auctoritatem Ecclesiæ
Divinam. Quia fides nostra, ex suo motivo,
debet esse summè infallibilis & Divina; non ef-
fet autem ex suo motivo summè infallibilis:
quia major est infallibilitas per essentiam, quam
per accidentalem assistentiam. Nec videtur
quomodo esset fides illa Divina ob illam assisten-
tiam, quæ participativè est quid Divinum. Sic-
ut quod sit propter hominem, non est ex eo præ-
cisè Theologicum, quantumvis homo dicat par-
ticipationem Divinitatis eamque etiam infalli-
bilem; quia suæ entitati innexam. *Pensandum
quomodo aliàs hæc sententia impugnari soleat.*

IMPUGNATUR Primò. Quod scilicet Adami
fides & Apostolorum non resolvatur in Aucto-
ritatem Ecclesiæ.

RESPONDETUR. Hoc ipsum concedere Medi-
nam. Hinc ut teneat Argumentum, restaurari
debet ex dictis supra.

IMPUGNATUR Secundò. Auctoritas Ecclesiæ
nobis innotescit per Auctoritatem Divinam:
Cur enim credis Ecclesiam non posse falli? quia
id Deus dicit. Si interim queratur cur id De-
us dixerit? respondes quia Ecclesia dicit, en
apertum circulum.

RESPONDERI posset. Sicut in simili Hæ-
reticis responderetur. Triplex est classis homi-
num cum quibus agi debet; sunt enim vel Eth-
nici, qui aliunde Ecclesiam non habent cogni-
tam, vel Hæretici, vel Catholici: Si Ethnici, il-
lis Auctoritas Scripturæ non potest per Ecclesi-
am probari, nec Ecclesia per Scripturam, sine
manifesto circulo: Assumeretur enim igno-
rum ad ignotum, cum tamen probatio legitima,
debeat esse à noto ad ignotum, vel à notiori ad
ignotius. Quamvis ubi illis postea Auctoritas
Ecclesiæ, per motiva credibilitatis fuerit cogni-
ta, possit illius Auctoritas assumi, in motivum
probandi Scripturam. Quoad secundam clas-
sem, hoc est, Hæreticorum attinet; cum istis
etiam agendo non potest directè assumi Aucto-
ritas Ecclesiæ ad probandum Articulum, hanc
enim negant. Sed immediatè debet assumi
primo Scripturæ, ad probandam Auctoritatem
Ecclesiæ, quia illius Auctoritate probata, posset
postea illa assumi ad probandum Articulum.
Jam enim non assumeretur aliquid ignotum, sed
esset regressus demonstrativus, similis ei, cum
causam per effectum aliunde cognitum, & effe-
ctum per causam notam probamus. Quoad
tertiā classē attinet, hoc est, Catholicos;
cum iis supponatur æquè nota Scripturæ ac Au-
thoritas Ecclesiæ, tunc ad invicem se ostendent,
nec fiet probatio propriè dicta, in qua sit pro-
gressus secundum conditionem noti ad ignoti-
us; sed potius manifestatio unius in alio; ad eum
modum quo specula sibi opposita, in seipsis invi-
cem repræsentantur & apparent. Dicerent
ergo oppositi, quòd scilicet in auctoritatem Ec-
clesiæ resolvant fidem, tanquam aliunde cogni-
tam, & non ex sola Scripturæ, licet habeat etiam
in Scripturæ testimonium: neque enim com-
mittitur tunc circulus, quando assumitur ali-
quid aliunde etiam notum. Sed de hoc argu-
mento aliàs etiam dicitur.

IMPUGNATUR Terriò. Quia resolvendo saltem
partialiter fidem in Auctoritatem Ecclesiæ, re-
solveretur in aliquid non Divinum, hoc autem
non debet admitti: quia sicut de mysterio
Eucharistiæ canit Ecclesiæ; ita & in præsentī dici
potest. Sola fides sufficit; ad quod alludit et-
iam Augustinus, contra epistolam. Funda-
menti capit. 14. *Ea credimus non hominibus, sed
ipsi Deo, animam nostram firmanti & illuminanti.*
Unde & Joan. 12. dicitur. *Qui credit in me, non
credet*

credit in me, sed in eum qui misit me & C. 2. Doctrina mea non est mea.

RESPONDERI posset fidem non esse adæquatè Divinam, si nomine adæquatæ fidei Divinæ intelligatur fides secundum totam latitudinem sui motivi. Si autem nomine fidei adæquatæ, intelligatur fides, pro principali, à quo fit denominatio, habens pro motivo Auctoritatem quæ est Deus, sic sumpta erit adæquatè Divina: pro principali enim respiciet semper Deum; ad eum modum quo homo dicitur adæquatè & completè rationalis, quamvis nonnisi principalis ejus pars intelligat. Dictum illud *Sola fides sufficit* hoc solum vult, quòd nullus sensus exploret veritatem corporis Christi in Eucharistia, sed sola fides; quod verum est, eam resolvendo etiam in Auctoritatem Ecclesiæ: quæ quia movebit ad fidem, adhuc sola fides sufficiet. Et sicut per arguentes revelatio intrat formale fidei, quamvis illa sit quid creatum; nec id obest ut sit Divina; ita nec oberit Auctoritas Ecclesiæ. Augustini verba verificantur: quia etiam credere propter Auctoritatem Ecclesiæ est credere propter assistentiam Spiritus Sancti; adeoque propter aliquid Divinum. Locus ille S. Joan. non plus vult, quàm esse identitatem naturæ inter Patrem & Filium, hinc qui credit, credit in Patrem, credit & in Filium. Quando autem Petrus dicitur immediatè motus, ad credendum Divina Auctoritate, poterit adhuc movere Auctoritas Ecclesiæ: quia & hæc adhuc non est revelatio carnis & sanguinis, sed aliquid Divinum. Cæterum hæc rationes possunt ex allatis supra restaurari.

DICES Primò in oppositum esse Auctoritates.

PRIMA AUCTORITAS Sanctæ Scripturæ. Actorum 16. dicitur, quòd Deus aperuerit cor Lydiæ, ut intenderet illis, quæ à S. Paulo dicebantur & 1. Joan. 2. *qui novit inquit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos.*

RESPONDETUR. Primum locum non plus probare, quàm quòd gratia Dei prævenit Lydiam ad intelligendâ & capiendâ mysteria fidei. Secundus locus non convincit: quia non dicitur eum qui est ex Deo, audire illos & propter illos dicentes assentiri; quod tamen probari debuerat: sed Apost. tantum dicit, eos qui DEUM norunt, recipere doctrinam Apostolicam.

SECUNDA AUCTORITAS est S. Augustini, contra epist. Fundamenti. cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret Auctoritas.*

RESPONDETUR. In illo commovere, involvi non rationem causæ formalis, sed rationem applicativi, & sicut motu cietur calor, nec tamen motus, est ratio formalis calefaciendi, sed conditio & applicativum; ita & in præsentia.

TERTIA AUCTORITAS est S. Thom. hic q. 5. à 3. ubi, & aliàs, docet fidei formale esse veritatem primam, secundum quòd in Scriptura S. & doctrina Ecclesiæ manifestatur.

RESPONDETUR. Ly. secundum, non reduplicat motivum: quia illud jam dixerat in antec., esse veritatem primam sine ullo addito: Ly. ergo illud *secundum*, innuit, ubinam contineatur Doctrina fidei, nempe in Scriptura & Propositione Ecclesiæ.

DICES Secundò, Si petatur à fidei curatore Christum esse Deum? respondet quia hoc Deus revelavit. Si queratur unde constet quòd id Deus revelarit? respondebit, quia Ecclesiæ Spiritu Sancto directâ, hoc me docet: ita autem responderi debere probatur: quia unaquæque res debet in illa principia resolvi, ex quibus nascitur; fides autem nostra nata est ex doctrina Ecclesiæ, Apostolorum autem fides, nata est ex immediata revelatione. Ergo fides nostra, in Auctoritatem Ecclesiæ, Apostolorum, in immediatam revelationem, resolvenda.

RESPONDETUR. Quando pro ratione credendi adfertur Auctoritas Ecclesiæ, non adfertur ratio formalis motiva, sed applicativa: ad eum modum, quo pro ratione usionis redditur applicatio ignis. Ratio allata multum probat, nempe quod ars Syllogisandi, inventa ab Aristotele, in eodem Aristotele resoluta fuerit in principia lumine naturæ notâ; nostra autem Syllogisatio, in Magistros, qui nos illam docuerunt. Porro res in eadem principia resolvitur ex quibus nascitur, non tanquam applicativis sed tanquam constitutivis.

DICES Terriò, Hæretici ideo sunt Hæretici, quia fidem suam non resolvunt in Auctoritatem Ecclesiæ.

RESPONDETUR. Ideo sunt Hæretici, quia negant regulam in proponendo res fidei infallibilem esse Ecclesiam, quod tamen est revelatum.

DICES Quartò, Auctoritas Ecclesiæ habet se per modum organi & instrumenti Divini, & habet se sicut Moyses & Prophetæ, qui fuerunt instrumenta revelationum Divinarum. In humanis autem testimonium Nuntii seu Legati, intrat partialiter assensum fidei humanæ.

RESPONDETUR. Organum & instrumentum non se habet per modum motivi, sed explicantis, propter quid credi debeat. Negatur item in Moysen resolutam fuisse fidem. Instantia de Nuntio pro nobis est: quia ille non movet in Auctoritate, sed solus Princeps, cujus est Legatus. Quamvis autem nuntius in humanis partialiter ingrederetur fidem humanam, non foret absurdum; foret autem absurdum, si ingrederetur fidem Divinam Auctoritas Ecclesiæ: quia fides humana non est summè infallibilis, secus Divina. Si summè infallibilis, debet habere motivum summè infallibile, quod non est, nisi Deus.

DICES Quintò. Ex hoc ipso quòd aliquid ab Ecclesia proponatur credendum, rectè inferatur, id esse de Fide.

RESPON-

RESPONDETUR. Inferri id rectè esse de fide, ex eo quòd Ecclesià sit regula certò & infallibiliter proponens, tanquam quid revelatum, quod est verè revelatum. Sed non rectè inferitur esse de fide; quasi ipsa, sit ratio formalis credendi; assistentiàq; Spiritus S. non est in ordine ad complendam Ecclesià in ratione motivi formalis fidei; sed in ordine ad complendum, ut habeat rationem infallibiliter proponentis.

Punctum Difficultatis 2.

In quid alii resolvant hoc principium: Quod Deus dicit verum est?

LUGO disp. 1. sect. 6. & 7. proponit modum quandam solvendæ præsentis difficultatis, quem est necesse hic examinare.

DOCET PRIMò. Quod assensus fidei fiat saltem per discursum virtualem v. g. revelatio Divina fallere non potest. DEUS autem revelavit verbum esse hominem. Ergò verbum est homo; quæ omnia cum possint uno actu attingi, facient discursum nonnisi virtualem.

DOCET SECUNDò. Prædictam propositionem revelatio Divina fallere non potest, æquivalere huic: Deus est summè verax; additque veritatem quæ concurrat ad actum fidei, esse tam veritatem in dicendo, quam cognoscendo.

DOCET TERTIò. Assensum de summa DEI Auctoritate, qui ad credenda revelata mysteria ducit, debere quidem esse supernaturalem & elicitem à fide, non tamen fieri propter revelationem talis objecti. Sed hæc Suprema DEI Auctoritas abunde agnoscitur, ut possit movere ad credenda alia, propter revelationem. Rationes hujus dogmatis infra attingentur.

DOCET QUARTò. Non multum, referret: An assensus fidei de Veracitate Divina, ultimo resolvatur in Deitatem ut voluit Aureolus; rationem reddit: quia adhuc assensus ille non minus esset Theologicus: haberet enim pro objecto formali ultimo naturam Divinam.

DOCET QUINTò. Possè etiam defendi, quòd ipsa veracitas DEI sit ultimum motivum, in quod resolvitur assensus fidei, dicitque dupliciter posse affirmari eam perfectionem de DEO. PRIMò absolute dicendo DEUS est summè verax; & tunc debet id colligi, ex alio medio; idque ideo: quia sicut ex assensum Dei non possumus in hac vita cognoscere, nisi ex revelatione vel ex Creaturis; sic & perfectiones Dei, non possumus affirmare absolute, nisi per aliquod medium vel revelationis, vel alterius argumenti. SECUNDò possumus veracitatem Dei affirmare non absolute, sed sub conditione, hoc est, si Deus loquitur, loquitur verè; & hic assensus, non videtur indigere alio medio, sed posse ex apprehensione terminorum fieri: si enim penetrantur termini, quòd scilicet

DEUS in suo conceptu sit Ens primum, summè perfectum, & simul si apprehendatur, quòd veracitas summa sit maxima perfectio naturæ intellectualis, statim ex terminis constabit, si sit DEUS, debere esse summè veracem. Hæc doctrina

NON SATISFACIT PRIMò. Quia attendendo ad dogma quintum. Quæro, an conditionata illi: si Deus est, verax est, assentiamur immediate, vel non. Si non assentimur immediate. Ergò non respondet ad punctum: assignare enim debebat ultimum resolutorium, atque adeò, cui immediate assentiamur. Quòd si immediate assentiamur illi propositioni. Quæro, an assentiamur illi, propter evidentiam illius vel propter aliud. Si propter aliud. Ergò non fit assensus immediatus. Si non propter aliud contra erit.

Tum quia illi propositioni, Deus est verax, absolute spectate, non assentimur immediate propter illam ipsam, eò quòd DEI veracitas absoluta, sicut & existentia, per Lugo, præter revelationem, nonnisi ex Creaturis, colligi possit. Ergò & illa conditionata: Si sit Deus, verax est, non habebit assensum immediatum, sed ejus veracitas nonnisi ex Creaturis colligetur: non enim apparet major ratio de una, quam de alia. Et sicut quòd alicujus rei est causa quòd ad esse in statu absoluto, est etiam ejus causa conditionata, quòd ad esse conditionatum, ita quòd est nonnisi unica ratio motiva alicujus pro statu absoluto, erit etiam ratio motiva pro statu conditionato, imò hoc ipsum præstitit Lugo: nam illam etiam Conditionatam veracitatem, tanquam ex ratione collegit, quòd scilicet naturæ rationalis proprietas sit, veracitas. Tum quia ex vi hujus doctrinæ sequitur resolvere fidem in aliquid evidens naturaliter, adeòque in lumen naturæ, subrueturque Formalitas: Quæ Theologicæ fidei, quæ debet defendi. Quòd autem ille assensus pendeat à principio supernaturali effectivo, impertinens est ad præsentem materiam, quia hic quæritur de Formalitate Theologicæ fidei, ex parte motivi. Tum quia etiam in hac materia potest similis circulus vitiosus ostendi, qualem opponit aliis de Lugo. Sit verbi gratià articulus: Credo DEUM esse; quæro, cur est credendum DEUM esse? respondes: quia Deus dixit, & verax est; quæro quare est verax? respondes: quia si sit DEUS, necessariò est verax. Et quia conditionata trahit semper secum, & supponit sequelam statum absolutum, etiam tunc supponetur esse DEUM veracem; de quo ipso esse, primò quærebatur. Ipse Lugo num. 111. docet: quòd ad dilectionem DEI absolutam non sufficiat assensus & cognitio solum conditionata; quomodo ergò sufficiet ad assensum absolutum fidei quòd Deus

(d)